



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia S. Avgvstini de humanæ naturæ stantis, lapsæ,
puræ statu & viribus eruitur & explicatur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

20. Declaratur quomodo nunc sit liberum à peccato abstinere iuxta mentem Scholasticorum, etsi hoc negare videatur Augustinus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13673

CAPVT XX.

Declaratur quomodo nunc fit liberum à peccato abstinere juxta mentem Scholasticorum, etsi hoc negare videatur Augustinus.

HINC ulterius & illud liquet, quo pacto nihil Scholasticis repugnet id quod sepius Augustinus dicit, nunc post lapsum primi hominis, non esse liberum à peccato abstinere: ac definitionem peccati, qua dicitur esse voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & inde liberum est abstinere, se tantum de peccato primi hominis, seu de peccato quod non est poena peccati, intelligere. Qua de re testimonia ejus multa in præcedentibus dedimus. Nam ista & similia non sic intelligit Augustinus, quasi nunc non possit quoquo modo ab illo peccato, quod hic & nunc facit, abstinere, nempe aliud vel eisdem generis vel alterius perpetrando, quod multis ejus testimonijs & exemplis jam falsum esse declaravimus: sed ita intelligit, non esse liberum abstinere, ut nec illius nec alterius peccati, sive levioris, sive gravioris, in abstinendo sit reus. Parvi enim momenti est Augustino libertas illa exercitij seu indifferentia abstinendi Philosophica, quâ unum peccatum in aliud irruendo fugitur. Sed de illa libertate loquitur, qua sic abstinere à peccato potest, ut peccatum sine peccato superetur, atque ita sequatur vera peccati victoria, qua verè victor peccati, non à peccato victus dici queat. Nam ex isto doctrinæ & intelligentiæ fonte nascitur, quod Aug. peccatū nunquam victum esse sentiat, nisi Dei amore, non aliâ pravâ cupiditate vincatur. Nam cum dixisset, ut jam vidimus, quod nonnunquam apertissima vitia alijs vitijs vincantur occultis, subtextit illic: *Tunc itaq; victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.* Et alibi exponens, quid sit non intrare in tentationem, hoc est, abstinere à peccato, cujus tentatione pulsatur: *Non intrat, inquit in tentationem, si voluntate bonâ vincat concupiscentiam malam.* Nimirum juxta illud Apostolicum: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Si quis enim concupiscentiam malam aliâ voluntate mala vicerit, jam in tentationem intravit, neque victor mali, sed à malo victus erit, unde in eodem illo loco ubi de libertate abstinendi à peccato & resistendi malæ cupiditati diserit, non semel indicat se de tali resistendi & abstinendi potestate loqui, qua peccatum bonâ voluntate, nulla alia peccati cupiditate reprimatur.

Quisquis, inquit, sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum SINE PECCATO resistere, nec tamen facit, utique volens peccat. Et rursus: Qui verò cogenti cupiditati bonâ voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepti iustitia, iam hoc ita peccatum est, ut sit etiam poena peccati. Ecce sine alio peccato, bonâque voluntate concupiscentiæ resi-

Astendum esse docet; ut quis cupiditate sua non coactus, sed liber in abstinendo esse dicatur.

Hæc igitur consequenter etiam ratio est, cur nunquam verè seu veraciter tentationem peccati superari tradat, nisi quando non alterius cupiditatis sed justitiæ delectatione superatur. Neque id fit veraciter (scilicet vitia vincuntur) atque sinceriter, nisi verâ delectatione iustitiæ. Hæc est autem in fide Christi. Et alibi: *Probat non regnare concupiscentia; dum iustitia delectatione vincente non sunt mala.* Et in sermone de Natali sancti Vincentij: *Quisquis vitium suis hoc se posse præsumpsit, etsi videtur vincere patientiâ, vincitur à superbia. Bene vincere, hoc est, universas machinas vincere &c. Quando ergo vincit, nisi cum dicit: In Domino laudabitur anima mea. Si hoc est, benè, veraciter, sinceriter vitium vincere, iustitiæ delectatione universas machinas vincere, profectò, hoc est, juxta S. Augustinum peccato resistere, & à peccato abstinere, iustitiæ delectatione, bonâque volutate resistere & abstinere. Alioquin peccato non resistitur; sed ceditur; non abstinetur, sed committitur; si non istud, certè aliud, quod ex eadem concupiscentiæ prementis instantisque importunitate proficiscitur.*

Ex quibus admodum sanè perspicuum est, nullam Scholasticis ansam querimoniarum per illam peccandi necessitatem, sublatamq; abstinendi libertatem, quam August. docuit, esse datam, quo minus illam exercitij seu contradictionis libertatem singulis peccatis perpetrando, quam ipsi ad veram arbitrij libertatem satis esse putant, salvam habeant. Hoc tamen ingenue fateor me in universis Augustini monumentis nondum invenisse, quod peccata, quæ ante gratiam per concupiscentiæ nobis insperatæ consperatæque necessitatem committuntur, idcirco nobis libera sint, quia possumus unum peccatum alterius cupiditate superare, aut hoc vel istud quadam indifferentia contradictionis ommittere, & aliud facere. Aliam ista Philosophiam quam Augustini sapiunt. Quæ libertas contradictionis si cui ad intelligendam ejus doctrinam de peccatorum libertate, conjunctaq; peccandi necessitate sufficere videatur, equidem per me licet. Non enim hujusmodi indifferentiam à peccatis lapsorū hominum ex necessitate commissis excludit Augustinus; quamvis, ut verum dicam, nec eam in ullis, quod sciam, lucubrationibus sollicite querat aut postulet, aut sub nomine libertatis arbitrij ad peccata facienda vel commemoranda putet. Ut propterea non immeritò adhuc inquiri possit, utrum August.

Lib. de duobus animalibus.

Lib. 1. Retract. c. 15. & l. 1. oper. imperf.

Lib. 21. de Civit. c. 16.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 2.

Rom. 12.

Lib. 1. Retract. cap. 15.

ita intelligat reuera, quemadmodum diximus, huiusmodi loca sua, quibus dicit peccatum ita esse voluntarium, ut a nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Item b nusquam nisi in voluntate esse peccatum. Nam in huiusmodi verbis voluntas opponitur necessitati, sicut patet iisdem locis citatis, quando adjicitur: Quod autem b. mimi a perverso Angelo persuasum dicitur, etiam ad hoc utique voluntate consensit. Nam si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur. Ut proinde voluntas non sit aliud quam libertas, ipsomet Augustino dicente: Quanquam si liberum non sit abjicere, (scilicet a

peccato) non est voluntas. Ratio dubitandi est, quod Augustinus expressis verbis saepius doceat, nunc non esse liberum abstinere a peccato, imo peccata nunc non committi voluntate, sed necessitate: Iam poenalis virtuositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem, quae tamen peccata si primus homo, ut audivimus, necessitate fecisset, nullo, inquit, peccati crimine teneretur. Nam quare magis primus homo per illam necessitatem fuisset excusatus, quam posteri ejus, si talis peccandi necessitas indifferentiam exercitij non excludit.

CAPVT XXI.

Eadem Augustini loca exponuntur aliter juxta genuinam ejus sententiam.

QVAMOBREM quia nonnullis gratum futurum arbitror, verum Augustini sensum intelligere, eumque non modo non repugnare Scholasticorum principiis, sed neque suis, operapretium erit istorum locorum satis difficilem intelligentiam & a recentiorum sensibus paulo remotiorem partem, Deo juvante, patefacere. Sciendum est igitur, voluntatem atque necessitatem in istis Augustini & alijs plerisque locis longè aliter quam a Scholasticis usurpari. Hi enim non aliam intelligunt voluntatem (loquendo non de potentia, sed de motu ejus) & voluntarium, quam vel motum generaliter qui a potentia voluntatis proficiscitur, qualis est & amor beatificus; vel certè motum quem perfectè voluntarium vocant, hoc est, phrasi in scholis usitatà; liberum seu indifferentem ut fiat vel non fiat positus omnibus ad agendum necessarijs: tui oppositum intelligunt necessarium, seu id quod ad unum tantum determinatum est. Neutrum istorum ab Augustino in istis vocabulis intelligi solet. Voluntas enim ab eo peculiari phrasi usurpatur pro motu voluntatis illo, qui nullà coactione non solum physica quae respectu voluntatis impossibilis est, sed neque morali à potentia voluntatis proficiscitur, sive motus ille positus omnibus indifferenter ab ea, sive ad unam partem determinatè fluat. Motus verò qui sic coactè à voluntate nascitur, sive terrente metu mali, sive concupiscentià stimulante, vocatur ab Augustino necessarius, & necessitas ipse metus aut cupiditas quae exprimitur; sive interim motus ille singularis ita fiat à voluntate, ut alio metu aut cupiditate vitari possit, sive non possit. Haec acceptio respondet vocibus illis à voluntate deductis, quibus dicitur aliquis volens aut nolens aliquid facere. Nolens aliquid facit, qui invitatus, aut coactus, aut necessitate id facit: volens è contrario, qui sponte nullo intrinsecus contra voluntatis inclinationem impellente. Hinc enim iste motus, voluntas, illa necessitas seu necessarius, id est, coactus dicitur. Hoc

enim Augustino est necessarium, ut latè infra declarabimus, quod sit nolentibus nobis, sive absolute, sive secundum quid; ut respectu voluntatis non aliud Augustino sit necessitas, quam coactio. Sed ipsum Augustinum se explicantem audiamus, quod nisi fecisset, haud scio an quisquam nunc sensum ejus de voluntate & libertate, quae solum primum Adami peccatum perpetratum esse tradidit, assequeretur. Sic ergo loquitur in eodem loco, ubi non nisi voluntate peccari dixerat: desinitur itaque voluntas isto modo: Voluntas est animi motus cogente nullo ad aliquid vel non amittendum vel adipsiendum. Hac definitione certissimum est, non non omnem omnino voluntatis motum esse comprehensum. Quisquis enim timore compellitur aliquid facit, non facit hoc nullo cogente; & consequenter non voluntate seu volens phrasi Augustini, seu necessitate, hoc est nolens, invitatus, & coactus facit. Sic enim ipse lubet exiit: Cur ergo ita tunc (cum essem Manichaeus) desinere non possem? An erat difficile videre invitum volenti esse contrarium, ita, ut contrarium sinistrum dextero esse dicimus, non ut nigrum albo? Nam eadem res simul & nigra & alba esse non potest: Duorum autem in medio quisque positus ad alterum sinister est, ad alterum dexter: simul quidem utrumque unus homo potest, sed simul utrumque ad unum hominem nullo modo potest: ita invitum & volens simul esse videm unus animus potest, sed unum atque idem nolle simul & velle non potest. Quibus in verbis invitatus seu coactus dicitur, non qui nullo modo vult aliquid, ut cum invitatus occiditur, aut deicitur, aut propellitur; sed is qui vult aliquo modo & facit, etsi invitatus velit & faciat. Declarat hoc ipsum luculentissime subnectendo: Cum enim quisque invitatus aliquid facit, si eum roges, utrum id facere velit, nolle se dicit. Item, si roges, utrum id velit non facere, velle respondet. Ita invitum ad faciendum, ad non faciendum autem volentem reperies: id est enim unum animum uno tempore habere utrumque sed aliud atque aliud ad singula referentem. Etiam ostendens quo pacto ista ad illustrandam propositam definitionem voluntatis, à qua quis volens, seu